

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
CLEMENTIS XI.
 PONTIFICIS MAXIMI
 CONSTITUTIO
 UNIGENITUS,

Providè , ac justissimè damnans Propositiones centum &
 unam , excerptas ex Libro Gallico *Observationum
 Moralium in Novum Testamentum*,

Theologicè propugnata .

P A R S I.

*Quæ versatur circa Constitutionis EXORDIUM ,
 & priores quadraginta tres
 PROPOSITIONES de GRATIA .*

De Constitutionis EXORDIO

CAPUT UNICUM.

Sua dignitas , & æquitas ei afferitur .



UISQUIS non hostili-
 bus oculis legere so-
 let Pontificum Roma-
 norum Brevia , Dec-
 creta , & Constitutio-
 nes , miratur & laudat
 elucentem ubique
 sapientiam , gravita-
 tem , sententiarum de-

lectum , verba Scripturarum , ac Patrum aptif-
 simè collocata ; etiam nitorem atque elegan-
 tiā sermonis . In exordiis five captanda
 est benevolentia , sive exornandæ sunt laudi-
 bus virtutes , sive reprehendenda vitia , le-
 toris animus accommodatā ad personas , &
 materiam oratione disponit .

Is scriptioris modus vehementer dispi-
 cit Quesnello , & ejus sociis , qui dolent
Constitutio theol. propugn. Tom.I.

tam congruis se perstringi sententiis , & ad
 movendos contra se fidelium animos perido-
 neis . Vellent blanditiis , & adulatione sua-
 viter deliniri , aut tam molliter increpari ,
 quam Ophni , & Phinees ab Heli patre suo ;
 quæ nimia in castigando lenitas tantam Sa-
 cerdoti , & Prophetæ , aliàs optimo , accer-
 siit maledictionem . Mallent saltèm incondi-
 tis , & insulsis phrasibus excipi , quas vulgi
 possent exponere ludibrio . Nunc præter
 acrimoniam , accusant compositionem veluti
 nimium expolitam , quæ non stylum Pontifi-
 cis referat , sed Oratoris , sive , ut ajunt , *Rhe-
 toris* . Hinc apud imperitos autoritatem
 Constitutioni detrahere conantur , quasi à
 Rhetore composita , non à Pontifice , non plus
 ponderis habere debeat , non plus mereatur
 reverentia , quam privati lucubratio scriptoriis . Quæ si valuerit ratio , omnes leges Cæ-
 sareæ , omnia Regum , & Principum Edicta ,
 pleræque Epistole & Documenta Pastoralia
 Episcoporum , plurimæ Pontificum Bullæ ro-
 bur amittent , quæ ab inferioribus juxta signi-
 ficatam sibi à superioribus mentem concin-
 nantur ,